

Immediate vero accessit ad visitandam parochialem ecclesiam Sanctae Mariae dicti loci, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Luciano Feracci parocho et a populo. Omnibus de more persolutis, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene asservatur, et eodem populum benedixit.

[127r] Etiam baptisterium et sacra olea sufficienter munda sunt. Altaria sunt quatuor. Maius, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum; 2. Animarum Purgantium; 3. Sancti Rocchi; 4. Sanctissimi Rosarii. Tam ecclesia quam dicta altaria nulos habent redditus, sed manutentur a populo eleemosinis; et cum sufficienter munda et ornata asserventur, illustrissimus dominus laudavit pietatem populi et rectoris diligentiam. Quae autem sint decreta vide in foliis (etc.). In hac ecclesia nullum est missarum onus.

Annui redditus parochi sunt librae 500. Familiae 80. Sacerdotes quinque. Animae 472. Altare privilegiatum altare maius.

Successive illustrissimus ac reverendissimus dominus accessit ad visitandum oratorium Sancti Pancratii martiris, in quo erecta est societas (etc.). Dictum oratorium optime asservatum vidi et idcirco laudavit pietatem confratrum. Verum deprehendit pluribus abhinc annis non exerceri consueta officia prae nonnullis dissentionibus exortis [127v] inter loca huius parochiae, et potissimum quod locus Porcili vellet quod post sex menses alternative eligeretur prior dictorum locorum. Postquam illustrissimus ac reverendissimus dominus audivit, decrevit ut in foliis (etc.). Et ita (etc.) ad suam residentiam rediit.

In loco Villae Porcili adest cappella Sanctissimae Annunciationis necessariis munita.

In Vila Carchisaldi est aliud oratorium Sancti Antonni Patavini iurispatronatus haeredum quondam Placidi quondam Lucae, ab eodem erectum com dote stabilium in summa librarum 400, ex quarum fructibus celebrari debent tot missae ad rationem eleemosinae solidorum 20.

[...]

Die 29 aprilis illustrissimus dominus mane hora 15 iterum se contulit ad ecclesiam parochialem Sanctae Mariae loci Pioggioli, in qua celebavit missam et consueto praemisso sermone sacramentum Confirmationis fuit impertitus masculis et foeminis huius plebis.